


Graph.
38
mbr



EXPLICATIO
INSCRIPTIONIS OBSCURAE
IN
AMULETO INSCULPTAE.



HEIDELBERGAE.
PROSTAT APUD *J. C. B. MOHR*, ACADEMIAE LIBRARIUM.



Viam qui nescit, qua deveniat ad mare,
Eum oportet amnem quaerere comitem sibi.

PLAUT.

ULRICUS FRIDERICUS KOPP

HASSUS CASSELLANUS

LIBERO BARONI A STACKELBERG

ESTHONO REVALENSI.



Quemnam in usum confectum sit hoc, quod possides, amuletum, utique difficile dictu est. Sed eo libentius explicando ei operam dabo, quo clarius pateat, me non frustra (*in Palaeographia critica Tom. III. praesertim Cap.* 8. *p.* 611 *sequ.*) laborasse, ut omnia exponerem, quae adjumento esse possent ejusmodi monimentorum interpretibus. Verum enim vero, quamvis haud facile quisquam tot amuleta tractarit, tantoque studio in ea incubuerit, quam ego (v. l. c. p. 14. §. 11.) ingenue tamen confessus sum, eorum interpretationem saepenumero esse ambiguam. Quapropter (§. 587.) viros doctos iterum iterumque rogavi, ut interpretationes meis meliores, si quae essent, substituere vellent. Minime vero pejores desideravi, vel prorsus ineptas, quales (in diar. Gotting. anni 1829 mensis Octbr.) exhibuit Grotefendus, vir ceteroquin doctus, quem tamen explanandis inscriptionibus obscuris minime parem esse, jam pridem censue-

runt (v. *Dorow morgenl. Alterth.* I. p. 20 et 57.) Silvester de Sacy et Creuzerus noster; quod et ego dudum anno MDCCCXVII (*Tom. I. p.* 2. §. 1.) arbitratus eram. Ac plerumque id vitii philologis inhaeret, ut non nisi correctis, quas scriptas vident, literis interpretari studeant ea, quae, ut in monimentis exstant, intelligere nequeunt, quoniam persuaserunt sibi, a veteribus nil scribi potuisse, nisi secundum eas leges, quae traditae sibi fuere in scholis.

Sed ad supra exhibitum ut redeam monimentum, materia ejus Jaspis est nigra, in adversa parte major, in aversa minor, eadem nimirum magnitudine, qua gemmam depictam supra protuli. Atque hoc ipsum gemmarum genus a toto oriente *pro amuletis* gestari jam Plinius (30, 9, 37) retulit.

Magis vero nostra interest inquirere tum in imagines, tum praesertim in literas, quas in gemma videmus esse incisas. Incipiamus igitur a majori inscriptione in aversa parte insculpta.

Quae quum hisce composita sit literis

T P A C I C O T O Y A B P A Ľ A C H C I I N


ante omnia ut verba rite dividantur opera danda est. Quod quo facilius fieri possit nomina propria an adsint, quaerere nos oportet (*Tom. III.* §. 544.). Adest autem nomen, et quidem indeclinabile (quippe ex Hebraea lingua interpretandum) ΑΒΡΑΞΑC sive ΑΒΡΑΞΑ. Utroque enim modo istud nomen scriptum legimus in amuletis (*IV.* §. 596. 599.). Utrum vero hic sit legendum, prius, an posterius, tum demum patebit, quum linguam divinaverimus, qua usus est praestigiator (*IV.* §. 555.). Atque hanc Graecam esse e voce ΤΟΥ (τοῦ), nomini praeposita, liquet.

Videamus ergo num hujus linguae ope e verbis sensus elici possit. Legimus quidem ab initio TPA; sed nihili haec vox est. Addenda igitur quae sequitur litera C. Quo facto legimus TεPAC,

signum, et quidem *prodigiosum*, illius scilicet numinis, quod forte in mente habuerit circulator. Neque Te moveat Epsilon omissum. Innumeris enim ostendi exemplis, decurtata fuisse in amuletis nomina tam propria (*III.* §. 406.), quam appellativa (§. 407.), propter corruptam nimirum orthographiam, e varia pronuntiatione exortam (*III.* §. 376. *sequ.*). Tanta scilicet negligentia olim scribi potuisse profecto negaret criticorum turba, si ejusmodi specimina in autographis, quae adhuc exstant, in oculos non incurrerent.

Facilius I C O intelligent, qui non ignorant, saepissime O positum esse pro Ω (*IV.* *p.* 539.). Ἰσῶ enim Latine sonat *collocabo.*

Atque melius etiam legimus quod sequitur τοῦ Abraxa, quam τοῦ Abraxas. Hoc enim Sigma referendum est ad sequentia, a quibus explicandis prorsus abstinerem, nisi e multis comperuissem amuletis, ista ad nomen Abraxa saepissime addita fuisse, et verisimiliter significare „*sex oculorum.*“ Quantopere enim Hebraea verba שש עינין Graecis scripta literis in istis monimentis vel incuria artificum, vel ipsorum imperitia auctorum, corrupta fuerint, claris equidem ostendi exemplis (*III.* §. 576—579.). Senarius autem numerus *perfectus* putabatur (Vitruv. 3, 1. Martian. Capella p. 240 Grot.), cui opinioni Laurentius Lydus, ab aliis Lydi filius appellatus (die Ven. p. 69 Roeth.) et hoc addit: „*sanitatem hexade* effici in corporibus.“ Ceterum *perfectus oculorum* numerus haud sine ratione τῷ Abraxa tribuebatur, quippe qui capite pingeretur *gallinacei*, quod animal esse *vigilantissimum* plures demonstravere scriptores (Pausan. 5, 26, 5. Aelian. de natura animal. 4, 29. Lucian. Gall. 3 f. p. 294 Bip.). En ejus imaginem:



qua omnia tam tutelae, quam regiminis symbola continentur (v. *Tom. III.* §. 694. 696. 699); adeoque species ipsa adprime convenit numini huic in amuletis saepe, tanquam tutelari, invocato.

Sed transeamus nunc ad adversam gemmae partem, quam non sicut aversam, ut in lapide cernitur, delineavi, sed e forma in cera expressa, quandoquidem inscriptionis ad caput positae directio hoc efflagitare videtur, quia in gemma ipsa dextrorsum vergit. Vide quae de varia in amuletis versuum directione (*III.* §. 213.) observavi.


Principalis autem figura in adversa hac parte caput est Minervae sive Palladis, quae esse putatur, ut verbis Martiani Capellae (*p.* 188 Grot.) utar,

„Ingenium mundi, prudentia sacra Tonantis
Ac rationis apex divumque hominumque sacer νοῦς."

Mens igitur et intellectus rerum νοητῶν, ad quas etiam refero e reliquis imaginibus illam papilionis, cujus tam symbolo, quam Graeco nomine, ψυχῆ, animam denotari nemo est qui ignorat.

Sed prorsus aliter sese habent rerum νοερῶν in gemma imagines, quae tum lucem ipsam, tum remedia oculorum significare recte dixeris. Profecto enim et *Stella* pone caput, et *Fax* ante id posita, *lucent, lucemque* igitur denotant. Advertas praeterea *Cancrum, Lacertam* et

Scorpionem, quos omnes aptos esse ad oculorum morbos sanandos, humana tradebat superstitio. Eadem enim animalia inter alia, simili vi praedita, reperiuntur in hac gemma



quam olim (*III.* §. 513.) interpretatus sum, ac simul observavi, in votiva alia additam imagini *Lacertae* esse inscriptionem Latinam LUMINA RESTITUTA. Accedit in nostro amuleto τοῦ Abraxa appellatio, cui caput esse supra monui Gallinacei, quo ex alite item medicinam oculorum veteres petierunt (v. Seren. Sammon. c. 13. v. 211 int. Poët. min. II. p. 237 Burm. et Marcellum Empir. p. 62. 68). Omnia igitur conspirant ut gemma Tua remedium contineri oculorum jure affirmare possis.

Restat inscriptio pone caput incisa, de cujus tamen sensu non nisi divinare licet, quum ne literarum quidem omnium lectio certa sit. Quamvis enim duae priores IH nihil habeant dubitationis, tertius tamen character e duabus literis coarctatus esse videtur, quas alii AN, alii AV legere maluerint. Utrum vero legas, seu IHANC, seu IHAVC, e neutro certe nomen neque proprium, neque appellativum, elicere poteris. Dividenda igitur verba sunt, quandoquidem IH, exclamationem ἰὴ nemo non intellecturus est. Quae restant tres literae siglae esse videntur, quarum significationem nobis Minervae imago prodit. Est enim 'Α (θηνᾶ) Υ (γίεια) Σ (ώτειρα).

Habes jam, Vir doctissime, meam de amuleto Tuo sententiam: qua licet neutiquam tantas tenebras lucidissimis fugatas esse rationibus affirmare velim, nemo tamen facile certioribus eam infringet, neque meliorem interpretationem in medium adferet. Est enim ea, quam dedi, conformis operosae meae ad ejusmodi labores introductioni, in qua

„Libera per vacuum posui vestigia princeps,
Non aliena meo pressi pede:“

nec quemquam alium hanc materiam, ante me rudem et informem, majori cum diligentia unquam tractaturum esse persuasum habeo.

Dixi! Tu vero semper vale, ita ut nunquam indigeas *amuletis.* Sic salvum Te faxint, precor, superi, quos ipsos mysteriis celebrari compertum habemus.

Dabam die primo anni MDCCCXXXII.



